

1118, mayo. Tiermas

Alfonso I el Batallador hace donación a Montearagón de los diezmos y primicias de Ayerbe.

(*Crismón*). In Christi nomine et eius diuina clemencia. Ego Adefonsus Dei gratia rex, facio hanc cartam donacionis Deo et Ihesu Nazareno de Montaragon et sanctis qui ibidem sunt, et canonicis ibi Deo seruientibus de omnibus decimis et primiciis quas poterint facere et laborare illos populatores de illo burgo de Aierb, in escalido de tota mea terra de Gorreia usque ad illo monte de Luar et de Marquerlo et de Arriuulis. Quicquid uero potuerint escalidare infra isto termino supra dicti populatores totum habeant francum et liberum et portent ad illo burgo de Aierb, cum decimam et primiciam que sit semper ibi fideliter data ad seruicium Dei et de mea capella. Hoc sicut superius scriptum est dono et concedo ecclesie Ihesu Nazareno de Montearagon pro anima patris mei bone memorie Sancii regis et pro remissione peccatorum meorum ut teneant et possideant illud quietum et liberum canonici Montis Aragonis per secula cuncta. Siquis uero post meos dies hanc helemosinam ecclesie

Ihesu Nazareni auferre uoluerit nil sibi prosit, sed mee posteritati, M solidos petet.

Signum regis (*signo*) Adefonsi.

Facta carta ista firma et stabilis omni tempore in era M^a C^a L^a VI^a, in mense madio, in uilla quod uocatur Termes. Regnante me Dei gratia in Aragon et in Pampilonia et in Zaragoza et in Superarbi et in Ripacurcia. Episcopus Stephanus in Osca. Episcopus Raimundus in Barbastro. G. G. electus in Pampilonia. Episcopus Petrus in Zaragoza. Episcopus Micahel in Taraçona. Senior Lop Lopez in Calaorra. Senior Acenar Acenarz in Funs. Senior Enneco Galinz in Soso. Castang in Biel. Senior Fertung Lopiz in predicto Aierb. Peropetit in Boleia et in Luar. Senior Fertung Blasc in Puieo et in Tena. Senior Fertung Dat in Barbastro. Tizon in Boil et in Monteson.

Ego Sancius iussu domini mei regis hanc cartam scripsi et de manu mea hoc signum (*signo*) feci.

AHN. Clero. Montearagón. Carp. 23, n.º 1. Letra visigótica.

Publica José Ángel Lema Pueyo, Colección diplomática...²²¹, doc. 108.